

fraudis; ergo quando non intervenit fraus, contractus est validus.

Resp. Nego ant. Non enim fundatur in praesumptione, sed in periculo fraudis, quod semper reperitur. Quaeres 7. *Utrum contractus invalidus firmetur iuramento?*

Resp. Si contractus ex natura sua sit invalidus, non firmatur juramento, quia juramentum, utpote contraetui extrinsecum, non mutat naturam illius. Si vero sit invalidus solo jure positivo, firmatur juramento, quando irritatio facta est immediate et principaliter propter utilitatem privatam jurantis, quia potest renuntiare juri quod in suum favorem introductum est. Econtra non firmatur quando irritatio facta est immediate et principaliter propter bonum commune, sic Clericus non potest renuntiare privilegio canonis et fori, quia tunc juramentum esset de re illicita, et consequenter non tantum non firmat contractum, sed et ipsum est invalidum, nec indiget relaxatione.

Porro juramentum, sive firmet contractum, sive non, est validum, si sit de re licita, obligatque, ne Deus redatur testis falsitatis, sed potest tolli relaxatione.

CAPUT III.

De Contractibus in particulari.

Immes contractuum species referre non sinit compendii ratio; eas ergo solum attingemus, quae sunt magis in usu, et in quibus justitia saepius laeditur, tales sunt locatio et conductio, emptio et venditio, mutuum, cambium, census, et societas.

§ L. De locatione et conductione.

Quaeres 1. *Quid sit locatio?*

Resp. Est, contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio conceditur.... Dici-

tur; *Pro pretio:* id est, pro pecunia, si enim fieret pro alia re, esset contractus innominatus.

Quaeres 2. *Quid sit conductio?*

Resp. Est, contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio comparatur.

Quaeres 3. *Quaenam sint obligationes locatoris?*

Resp. Tenetur 1. rem non locare pretio justo maiore. 2. Aperire conductori via rei locandae occulta et noxia. 3. Impensas in rei reparacionem necessario factas solvere. 4. Non locare rem suam ei qui illa male usurps est. 5. Remittere pensionem, quando ob casum fortuitum conductor nullum omnino, vel minuere quando modicum fructum ex re conducta percepit, nisi si aliter juste conventum sit. 6. Rem ante tempus constitutum non repetrere, nisi in casibus a jure exceptis.

Quaeres 4. *Quaenam sint obligationes conductoris?*

Resp. Tenetur 1. rem, vel operas personae, non conducere pretio justo minore. 2. Non uti re locata, nisi ad usum concessum. 3. Pensionem statuto tempore solvere. 4. Rem, vel personam non dimittere ante terminum constitutum. 5. Modicas impensas ad rei conservationem necessarias facere. 6. Rem locatam, completo locationis tempore, remittere in bono statu.

Quaeres 5. *Ex qua culpa conductor teneatur ad restitucionem, si res conducta pereat, aut deterior fiat?*

Nota 1. Culpa duplex est, nempe, *theologica*, quae est peccatum, et *civilis*, quae est omissione diligentiae, ex qua alicui damnum creatur, sive omissione sit peccatum, sive non: *triplex* est, lata, levis, et levissima.

Culpa *lata*, est omissione diligentiae quam communiter homines ejusdem conditionis adhibere solent: v. gr. si quis rem sibi commodotam foris ante ostium relinquit, ex quo a transeunte surripiatur.

Culpa *levis*, est omissione diligentiae quam prudenter adhibere solent, v. gr. si rem commodatam in suo relinquit cubiculo, sed non clauso ostio.

Culpa levissima, est omissio diligentiae quam adhibere solent prudentissimi, v. gr. si quis cubiculi claudit ostium, sed non observet, utrum sera fuerit bene inducta.

Nota 2. Juxta legum dispositionem, et aequitatem naturalem. 1. Si contractus cedat in gratiam solius dantis (ut sit in deposito) rei detentor ad restitutionem non tenetur, nisi ex culpa lata et dolo. 2. Si cedat in solius recipientis utilitatem (ut sit in commodato) recipiens tenetur de culpa levissima, non autem de causa fortuito. 3. Si cedat in utilitatem utriusque, tenetur de culpa levi, non autem de culpa levissima, nec de casu fortuito. His positis:

Resp. Conductor tenetur de culpa levi, non sua tantum, sed et sublocatariorum et famulorum, quia contractus est in commodum utriusque.

Quaeres 1. Quid sint emptio et venditio?

Resp. Emptio definitur, pactio pretii pro merce; venditio vero, pactio mercis pro pretio, id est, pro pecunia, nam si merx daretur pro merce, esset permutatio, non venditio.

Quaeres 2. Quodnam sit rei venditis justum pretium?

Resp. Est illud quod exaequat valorem rei venalis.

Quaeres 3. Quotuplex sit pretium rerum venalium?

Resp. Duplex, nempe, *legale*, quod lege Principis, vel Magistratus decreto, taxatum est; et *vulgare*, seu *naturale*, quod communis hominum intelligentia aestimatione constituitur, spectatis omnibus circumstantiis, numerum, copiae, vel impotiae mercium; laboris, impensarum, et danni in comparandis et conservandis mercibus, &c.

Quaeres 4. In quo differant pretium legale et vulgare?

Resp. In hoc quod *legale* consistat in indivisibili mathematico, ita ut, qui taxam non servat, teneatur ad restitutionem: econtra *vulgare*, habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluris vendere et minoris emere. Unde triplex est, nempe *summum*, quod vendens non potest excedere absque injustitia: *Medium*, quod vendens potest augere usque ad *summum*, et emens minuire usque ad *infimum*; et *infimum*, quod emens minuire non potest absque injustitia.

Quaeres 5. Quomodo definiri possit latitudo justi pretii?

Resp. Debet esse major, si res sit pretiosior; minor, si res sit minus pretiosa: v. gr. si pretium *medium* sit 20, *infimum* erit 19, *summum* erit 21. Item, si pretium *medium* sit 100, *infimum* erit 95, *summum* erit 105. In primo exemplo latitudo est trium aureorum; in secundo est decem.

*Quaeres 6. Utrum liceat ei qui pretio *infimo* mercem vendidit, reducere pretium ad *medium* vel *summum*, occulte aliquid de re subtrahendo?*

Resp. negat. Quia vendor ageret contra conventionem, et contra jus alterius ex conventione acquisitum, quod est injustum.

Quaeres 7. Quot sint causae pluris vendendi?

Resp. Sunt quatuor. Est lucrum certo aut probabiliter cessans, vel damnum emergens; v. gr. si vendas, in gratiam emptoris, merces, quas constitueras servare in aliud tempus quo plus certo, aut probabiliter sunt valitiae, vel si vendas merces, quas postea teneris carius emere.

2. Est ratio laborum, periculorum, et expensarum in rebus conquirendis, et conservandis communiter occurrentia; nam haec sunt pretio aestimabilia.

3. Est copia emptorum vel pecuniae, et penuria mercium, quia ex his crescit aestimatio mercium.

4. Est modus vendendi, nam carius venduntur res

in parva quantitate et minutim, quam in magna quantitate, propter maiores curas et impensas quas requirit hic modus vendendi.

Quaeres 8. Quot sint causae minoris emendi?

Resp. Sunt quatuor: 1. Est emptio rei in solam gratiam venditoris; nam tunc res vilescit propter paucitatem emptorum, nisi tamen aliud exigat charitas; nam haec prop. *Potest aliquis emere rem vilius ab illo qui vendit necessitate compulsus*, damnata est ab Academia Paris. tanquam falsa, scandalosa, justitiam et charitatem violans.... 2. Est emptorum paucitas.... 3. Copia mercium superveniens.... 4. Modus vendendi, v. gr. si emantert in magna quantitate; si merces ulro offerantur; si vendantur sub hasta, gallice, à l'encan.

Quaeres 9. Utrum liceat credito vendere supra latitudinem justi pretii, vel emere infra, ob anticipatam solutionem?

Resp. negat. Nam hic modus vendendi et emendi habet rationem mutui, ex quo lucrum percipere usurium est.

Quaeres 10. Utrum liceat chirographa seu credita, et census, minoris emere quam contineant?

Resp. Non possunt, si sint certa et liquida; nam, 1. eorum pretium est legale; ergo in indivisibili consistit, 2. non plus valet pecunia praesens, quam absens, ut definivit Iunoc. XI. prop. 41.... Si tamen non essent certa et liquida, haberentur tanquam merces vitiatae, quae minoris valent et emuntur, quam integrae.

Objicies. Lege, *minus*, de Reg. juris, dicitur: *Minus est habere actionem, quam rem; ergo, &c.*

Resp. Dist. ant. Si res, ad quam datum actio, non nisi cum periculo, labore et expensis possit obtineri, conc. si sine illis possit obtineri, *nego*. Alias, excusandi essent omnes usurarii; nam pro pecunia, quam multo dant, non accipiunt nisi actionem ad eandem pecuniam recuperandam.

Quaeres 11. Utrum venditor teneatur ex justitia, rei vitium emptori occultum detegere?

Resp. 1. Si vitium rei sit periculoso, tenetur, etiam non rogatus, alias tenebitur compensare omnia damna ex hac venditione provenientia, quia illorum est causa, et occasio.

Resp. 2. Si non sit periculoso, non tenetur, modo minuat pretium pro ratione vitii, quia tunc nulla fit emptori injuria.... Tenetur tamen, si de vitio interrogetur, alioquin dolus daret causam contractui, qui posset rescindi pro arbitrio emptoris.

Quaeres 12. Utrum venditor teneatur de evictione?

Resp. Si ignoravit rem, quam vendidit, esse alienam, tenetur quidem pretium restituere; sed non tenetur de evictione. Si vero sciverit rem esse alienam, tenetur de evictione, id est, tenetur emptori non solum pretium, sed insuper totum interesse refundere.

Quaeres 13. Utrum venditio cum pacto retrovendendi, aut redimendi, sit licita?

Resp. Est licita in favorem venditoris, ut definitur, cap. Ad nostram, *de empt. et vendit.* et colligitur expresso *ex Levit.* 25, ubi omnis terra Israelitici populi sub redemptionis conditione vendebatur.... sed est illicita et usuraria, si fiat in favorem solius emptoris, quia licet contractus ille fiat sub nomine venditionis, tamen res proprie non videtur vendi, sed solum in pignus dari, ita ut emptor fructus rei percipiat ob mutuum.

Quaeres 14. Utrum contractus Mohatra sit licitus?

Nota. Contractus *Mohatra* est ille, quo homo, pecunia indigens, emit credito a mercatore merces pretio supremo cum pacto retrovenditionis, pretio infimo numerata pecunia.

Resp. negative. Nam fit simul et de industria inter easdem personas cum intentione lucri; ergo nihil aliud est quam mutuum, v. gr. 95. librarum, cum obligacione posthac restituendi centum; atqui tale mutuum est

usurarium, et ideo damnatum ab Innoc. XI. et clero Gallicano an. 1700. Sed:

Quaeres 15. *An ille contractus, seclusis omni pacto, onere, et scandalo, sit licitus?*

Resp. Negat S. Antonin. affirmant alii: nam res illa summo pretio empta, potest statim alii tertio vendi pretio infimo; ergo et ei a quo fuit empta, cum hanc ipse bona fide vendiderit, et nec implicite, ut supponitur, exegit ut ipsi retrovenderetur.

Quaeres 16. *Quid sit monopolium?*

Resp. Definitur, *Conventio unius, vel plurium mercatorum simul conspirantium, ut ipsi soli vendant, vel emant merces, eo quo voluerint pretio.*

Quaeres 17. *Utrum monopolium sit licitum?*

Resp. Est injustum et ad restitutionem obligat, nisi auctoritate publica constituantur, quia singuli habent jus contrahendi intra latitudinem justi pretii; ergo absque gravi injuria cogi non possunt emptores ad emendum summo pretio, et venditores ad vendendum infimo. *Dixi, Nisi auctoritate publica constituantur; quia bonum commune postulat, ut privilegium mercatori, aut artifici detur, sine quo negotiacione vel artificium, ob damni periculum, defereretur in detrimentum reipublicae.*

Quaeres 18. *Quot modis fiat monopolium?*

Resp. Sex. 1. Cum mercatores convenient de non vendendo, nisi pretio summo, et non emendo, nisi infimo.

2. Cum vi, metu, aut fraude, impediunt ne aliunde merces adveniant, unde oritur caritas.

3. Cum unus, vel pauci, emendo omnes fere merces, inducunt caritatem.

4. Cum mercatores supprimunt merces suas, ut inde earum pretium crescat.

5. Quando opponitur fictus licitor, qui plus offerat, ut alter ascendet in pretio.

6. Cum artifices inter se conveniunt, ut opus ab uno inchoatum, alter non perficiat.

§. III. *De mutuo, et usura.*

Quaeres 1. *Quid sit mutuum?*

Resp. Est contractus, quo res numero, pondere, vel mensura constans gratis transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejusdem speciei et bonitatis, post lapsum temporis, restituenda.

Dicitur 1. *Res numero, &c.* quia versatur circa res, quae, vel ad pondus, ut carnes; vel ad numerum, ut pecunia; vel ad mensuram, ut triticum, traduntur.

Dicitur 2. *Transfertur in alterius dominium;* et ideo res mutuo data, mutuatio perit et fructificat.

Dicitur 3. *Cum obligatione reddendi,* quae obligatio spectat omnes mutuatarios, exceptis pupillis et filiis familias, qui mutuum, sini consensu patris vel tutoris acceptum, non tenentur in conscientia restituere, etiam post mortem patris vel tutoris, si illam in usus inutiles consumperint. *Pupillus,* inquit Justinian. lib. 53. ff. de obligat. et action. *mutuam pecuniam accipiendo, nequidem juri naturali obligatur.*

Dicitur 4. *Aliam ejusdem speciei;* quia si res diversa specie reddatur, erit permutatio, non mutuum.

Dicitur 5. *Et bonitatis;* ut servetur aequalitas.

Dicitur 6. *Post lapsum temporis;* quia est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, aliqui mutuum esset mutuatio inutile. Hinc mutuator tenetur non statim repetere mutuum, sed tempore praefixo; quod si nullum sit praefixum, non potest repetere, nisi post aliquod tempus judicio prudentis assignabile, spectatis natura rei, et fine ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere.

Quaeres 2. *In qua bonitate mutuum reddi debeat?*

Resp. Si mutuum sit in pecunia, debet reddi in bo-

titate extrinseca; hinc qui mutuo accepit 100. libras, satisfacit reddendo 100. sive interim valor monetae auctus fuerit, sive immunitus.... si sit in aliis rebus fungibilibus, debet reddi in bonitate intrinseca, v. gr. modium pro modio, nisi aliter juste conventum fuerit.

Dixi, *Nisi aliter juste conventum sit*; quia in hypothesis quod mutuans praeviderit valorem monetae augendum, vel pretium tritici minuendum, potest juste convenire ut tot species monetae, vel tot modios tritici cum actuario reddat mutuatarius, deductis tamen expensis, quas facturus fuisset ad servandum triticum usque ad illud tempus; nam tunc nihil lucratur ex mutuo, sed solum se indemnem reddit.

Quaeres 3. *Quid si usura?*

Resp. Usura, sumpta pro lucro, definitur: *Lucrum ex mutuo immediate proveniens*. Sumpta pro contractu usurario, definitur: *Contractus mutui, quo lucrum ultra sortem exigitur, vel intenditur tanquam debitum praece vi mutui*.

Dicitur 1. *Lucrum*: sive sit pecunia, sive onus alias indebitum, a mutuante impositum mutuatario, v. gr. ut molat in molendino mutuantis, ut perdat fructus pignoris mutuatori dati pro assecuratione sortis, &c.

Dicitur 2. *Exigitur*: vel expresse, vel implicite.

Dicitur 3. *Vel intenditur*: per quod significatur usura mentalis.

Dicitur 4. *Tanquam debitum*: sive ex justitia, sive ex gratitudine et benevolentia, modo ex vera obligatio ne habeatur plus quam datum sit, prout definivit Innocent. XI. prop. 42. et Clerus Gallican. an. 1700.

Dicitur 5. *Immediate*: nam si primario mutuet ex charitate, et secundario tantum, mediante nempe mutuarii liberalitate, aliquid speraret, non esset usura. Illa autem secundaria intentio dignoscitur ex dispositione mutuantis, qui ita est affectus, ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari supra sortem, adhuc tamen mu-

tuaret, ait Div. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 7.

Dicitur 6. *Vi mutui*: quia si aliquid alio justo titulo exigatur, non est usura, sed indemnizatio.

Quaeres 4. *Quotuplex sit usura?*

Resp. Dividitur 1. in realem et mentalem.

Usura *realis*, est ea, quae percipitur ex contractu mutui cum pacto explicito, vel implicito aliquid supra sortem accipiendo.

Quando pactum est explicitum, dicitur usura *aperta*, seu *formalis*. Quando est implicitum, ut cum quis vendit supra pretium summum ob dilatam solutionem, dicitur usura *palliata*, seu *implicita*, quia mutuum licet sub alio contractu.

Usura *mentalis*, est ea, quae intenditur a mutuante, sed in pactum non deducitur: quod si recipiatur a mutuante, debet restituiri, quia recepta est sine dubio.

Dividitur 2. *In usuram sortis*, quae percipitur ex pecunia data, et *usuram usurae*, quae percipitur ex lucro usurario. Hanc recipere, ex quovis titulo, sive lucrificantis, sive damni emergentis, prohibitum est, lib. 28. Cod. de usuris.

Quaeres 5. *Quo jure usura sit prohibita?*

Resp. Est prohibita, 1. *Jure naturali*, quia usurarius vendit mutuatario quod suum non est, nempe usum juris rei mutuo datae, qui, cum in rebus consumptilibus non distinguatur a dominio ipsius rei, pertinet ad mutuarium, qui est Dominus rei mutuatae.

2. *Jure divino*, Lucae 6. *Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes*. Quibus verbis prohiberi usuram definierunt Conc. Lateran. II. et V.

3. *Jure Canonico*, cap. *super eo*, et cap. *consuluit, tit. de usuris*.

4. *Jure Caesareo*, ex D. Aug. Epist. ad Marcel. *Quid dicam de usuris*, inquit, *quas etiam ipsae leges et Judices reddi jubent, ut male partas*.

5. *Jure Gallico*, ex variis constitutionibus Regum

Franciae, inter quas unicam referto Henrici III. in co-
mitiis Blesensibus: *Defendons à toutes personnes de
quelque qualité et condition qu'elles soient, inquit, d'exer-
cer usure, par eux, ou par gens interposés.*

Ergo ne lex, aut *consuetudo patriae*, vel *conditio
tutoris* potest usuram reddere licitam, quia est intrinse-
ce mala, et a Deo indistincte prohibita.

Ergo nihil potest recipi supra sortem, nec propter
carentiam pecuniae; nec propter *obligationem non repe-
tendi sortem ante certum tempus*; nec propter *rationem
pecuniae praesentis quae datur, pro pecunia absente quae
est reddenda*; nec propter *laborem in numeranda pecu-
nia*, nec propter *periculum commune et ordinarium*: quia
illa omnia sunt mutuo intrinseca....item nihil re-
cipi potest ultra sortem *pro usu rei mutuatae*, qui per-
tinet ad mutuatarium. Nec pro utilitate quam *mutua-
tarius percipit ex mutuo*, quia non provenit ex pecunia, sed
ex industria mutuatarii; ergo ad mutuatarium pertinet.

Quaeres 6. *Quot sint veri tituli, propter quos liceat
aliquid recipere supra sortem?*

Resp. Sunt duo tantum, scilicet, *damnum emergens*,
et *lucrum cessans*: quia tunc mutuans nihil recipit vi-
mutui, sed juste suam indemnitatē exigit....ad ju-
stitiā horum titulorū requiritur: 1. Ut mutuum sit
vera causa damni emergentis, aut lucri cessantis ex
mutuo: 2. Ut mutuarius moneatur de damno emer-
genti aut lucro cessante, alias non consentiret in illo-
rum compensationem: 3. Ut auctuarium non sit majus
damno orto ex mutuo aut lucro sperato, deductis ex-
pensis faciendis, et periculis incurrendis. 4. Ut mu-
tuans non exigit compensationem lucri cessantis sta-
tim mutuo dato: nec cogat mutuatarium ad aliquid sol-
vendum pro damno probabiliter eventuro, si velit se
obligare ad solvendum totum damnum quod reipsa con-
tingerit, sic enim indemnizationem, ad quam solam ten-
tur, praestat.

Quaeres 7. *Utrum liceat mutuum petere, vel accipere
sub usuris?*

Resp. Non licet petere, quia nullo modo licet ali-
quem inducere ad peccandum. Licet tamen in gravi
necessitate propria vel aliena accipere *ab eo qui usuras
exercet*, ait D. Thom. q. 78. art. 4. si aliter haberi ne-
quit, quia gravis necessitas est justa causa non impe-
diendi peccatum alienum.

Quaeres 8. *Utrum haeredes usurariorum teneantur
restituere in solidum?*

Resp. Quilibet tenetur tantummodo pro sua parte
juxta vires haereditatis, rationi enim consentaneum est,
ut qui tantummodo in parte commodum percipit, onus
quoque in parte tantum sentiat.

§. IV. *De Cambio.*

Quaeres 1. *Quid sit cambium?*

Resp. Est, *permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro
camporis.*

Quaeres 2. *Quotuplex sit cambium?*

Resp. *Duplex, siccum, et reale.*

Cambium *siccum*, est mutuum nomine cambii ve-
latum, ut cum datur pecunia, recipienda, non eo loco
quo singitur, sed eo quo datur, licet alio tempore: v.
gr. Titius, lucri cupidus, negat Lugduni mutuum Moe-
vio qui pecunia indiget, sed offert cambium ea. lege,
ut illam cum lucro recipiat Parisiis, quamvis sciat red-
dendam Lugduni post temporis lapsum.

Hoc cambium est verum mutuum nomine cambii ve-
latum, in quo lucrum non exigitur nisi pro carentia pecu-
niae ad certum tempus, et pro solutionis dilatatione,
quod est usurarium, et ideo a Pio V reprobatum Bul-
la, *In eam pro nostro.*

Cambium *reale*, est illud, in quo revera pecunia praes-
ens cum praesente, vel praesens cum distante permu-
tatur. *Duplex* est, *manuale*, nempe, et *locale*.

Manuale, seu *minutum*, est de manu ad manum permutatio pecuniarum diversae rationis, v. gr. aureae cum argentea, minoris cum majore, &c.

Locale, seu *per literas*, est permutatio pecuniae praesentis cum distanti, v. gr. cum campsarius campsoi pecuniam numerat Nanceji, ut recipiat a campso re litteras cambii, quarum ope eandem summam recipiat Parisiis.

Quaeres 3. *Utrum cambium reale sit licitum?*

Resp. Est licitum, modo lucrum sit moderatum, et secundum leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum aestimationem. Lucrum enim non percipitur ratione pecuniae, sed ratione impensarum et laboris in conquirendis, coacervandis, et custodiendis variis speciebus monetarum, in cambio manuali; et in cambio locali, ratione oneris quod campsor suscipit proprio periculo monetas transferendi in eum locum, ubi campsarius his indiget, quae omnia sunt pretio aestimabilia.

§. V. De Censibus, seu redditibus annuis.

Quaeres 1. *Quid sit census?*

Resp. Est contractus, quo emitur jus percipiendi pensionem annuam ex re, personave aliena frugifera.

Quaeres 2. *Quotuplex sit census?*

Resp. Duplex, reservativus et consignativus.

Census *reservativus*, est ille quo quis alteri transfert rei suae dominium plenum, retento sibi jure pensionem aliquam percipiendi. De licitate hujus contractus nemō dubitat.

Census *consignativus*, est ille quo quis super bonis, personave sua consignat alteri pensionem annuam, sive in fructibus, sive in pecunia. Si fundetur super re fructifera, dicitur, *realis*. Si super persona, dicitur *personalis*; si super re et persona simul, dicitur, *mixtus*, et

ideo licet res pereat, persona semper manet obligata.

Quaeres 3. *Quomodo dividitur census consignativus?*

Resp. Dividitur in temporalem, et perpetuum.

Temporalis, est ille qui expirat aliquo tempore, vel certo, v. g. 20. annorum; vel ineerto, v. gr. ad vitam hominis, et dicitur *vitalius*.

Perpetuus est ille qui per se semper durat, estque vel *redimibilis* vel *irredimibilis*.

Quaeres 4. *Utrum census consignativus realis sit licitus?*

Resp. affirm. Nam est emptio juris ad pensionem ex re aliena frugifera annuatim percipiendam: quod jus, utpote pretio aestimabile, potest emi.

Quaeres 5. *Utrum census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. affirm. Nam licitum est operam et industriam alterius conducere; ergo et emere jus ad fructus inde speratos.

Objicies. Pius V. Bulla, *Cum onus, statui, censem constitui nullo modo posse nisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur ex sui natura fructifera;* ergo &c.

Resp. Neg. conseq. Quia Pius V. in dicta Bulla non explicat jus naturale aut divinum, quia sancit jus humanum; ergo non obligat nisi eos, apud quos est recepta; porro non est recepta in Gallia, Germania, Hispania, Lotharingia, Belgio, &c.

Quaeres 6. *Utrum census redimibilis sit licitus?*

Resp. Redimibilis ad nutum venditoris, est licitus, quia venditio fieri potest cum pacto retrovendendi. Econtra redimibilis ad nutum emptoris, est usurarius: nam qui dat pecuniam cum pacto eam recipiendi cum lucro, propriè non emit, sed mutuat ad usuram.

Quaeres 7. *An census temporalis sit licitus?*

Resp. Si sit ad tempus determinatum, est usurarius, quia nihil aliud est quam mutuum cum lucro, sed ad

tempus *indeterminatum*, est licitus, quia aequalis est sors vendentis et ementis.

Quaeres 8. *Quot requirantur conditiones ad justitiam census?*

Resp. Quinque. 1. Ut sit justum pretium juxta taxam principis, vel si desit, juxta communem prudentum aestimationem. 2. Ut res, super qua constitutus census, sit in libera dispositione vendentis. 3. Ut res sit ita fructifera, ut jus ad fructus, quod emitur, adaequat pretium datum. 4. Ut casset census obligatio vel in toto, vel in parte, dum res, supra quam census pute realis constitutus est, in toto, vel in parte perit aut sterilis evasit. 5. Ut in censu non apponatur poena commissi, quia poena est exorbitans. 6. Additur in Gallia, nempe, ut vendor possit perpetuo censem redimere, refundendo emptori pecuniam suam.

§. VI. De contractu societatis.

Quaeres 1. *Quid sit societas?*

Resp. Est duorum, vel plurium, conventio contrahendi aliquid ad commune lucrum et damnum, secundum proportionem rerum contributarum.

Quaeres 2. *Quaenam requirantur conditiones ad justitiam societatis?*

Resp. Quatuor: 1. Ut negotiatio sit licita. 2. Ut pecunia vere et realiter ponatur ad aliquam negotiacionem quae nata est ferre fructum, alias esset simplex mututum. 3. Ut lucrum et damnum sociis sint communia, pro rata parte quam quilibet in societatem contulit. 4. Ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis, ipsi peritura, si eam perire contingat.

Quaeres 3. *Utrum contractus triplex sit licitus? seu contractus quo pecuniam in societatem conferens, paciscitur cum altero socio, ut quidquid contigerit, sibi sors sua integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo quod probabiliter sperare potuisse?*

Resp. Est usurarius, et ut talis damnatus a Sexto V. Bulla, *Detestabilis*, et a facultate Parisiensi, ann. 1664. Ratio est, quia contractus societatis, cui accedit assecuratio sortis, destruitur, degeneratque in mutuum, cum pecunia sic assecurata transeat in dominium assecrantis, quia de ea pro libitu disponere potest; certum est autem nullum lucrum reportari posse ex mutuo; ergo.

Objicies. Licitum cum diversis personis fiunt tres contractus; ergo et cum eadem.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod societas vi trium contractuum degeneret in mutuum, quando fit cum eadem persona, non autem quando fit cum diversa.

Quaeres 4. *Utrum contractui societatis possit addi contractus emptionis lucri incerti majoris, pro lucro certo minore?*

Resp. affirm. Quia spes lucri est pretio aestimabilis; ergo potest vendi. Modo tamen capitale non assecetur a socio, nam est de essentia societatis, ut conferens pecuniam, vel alias res, in societatem rei a se collatae subeat periculum, nam per illud solum onus, res de se sterilis, potest esse fructifera, ut probat D. Thom. q. 78. art. 2. ad 5.

CAPUT IV.

De injuria et restitutione in genere.

Quaeres 1. *Quid sit injuria?*

Resp. Est, voluntaria juris alieni violatio absque causa legitima. Hinc non commitit injuriam qui a furibundo aufert gladium.

Quaeres 2. *Quid sit restitutio?*

Resp. Est, actus justitiae commutativa, quo res alterius redditur, aut damnum ei illatum reparatur.

Quaeres 3. *Utrum restitutio sit necessaria ad salutem?*

Resp. Necessaria est in re vel in voto, jus enim na-

turale vetat ne res aliena detineatur, invito rationabili-
ter domino: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*
Unde D. August. Epist. 54 ad Macedonium, ait: *Non
dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut
dixi, cum restitui potest.* Cum enim quis restituere non
potest, sufficit ad salutem, ut sincerum habeat propo-
situm restituendi, cum poterit: quare dixi, *in re, vel in
voto.*

Quaeres 4. *Utrum paeceptum restitutionis sit affir-
mativum, aut negativum?*

Resp. Est primario negativum, et secundario affir-
mativum: primario enim prohibet ne retineatur alie-
num, et ex consequenti jubet ut restituatur.

Quaeres 5. *Quot sint radices restitutionis?*

Resp. Sunt tres, nempe: injusta acceptio, injusta de-
tentio, et injusta damnificatio.

Quaeres 6. *Ex qua culpa nascitur obligatio restitu-
tionis?*

Resp. Ex omni et sola culpa theologica; quia obli-
gatio restitutionis nascitur ex injuria formalis; atqui
omnis et sola culpa theologica est injuria formalis: er-
go, &c. Porro qui ex culpa veniali grave damnum in-
tulit, non tenetur illud reparare ex toto, sed sufficit, si
illius partem resarciat pro quantitate culpare, judicio
viri prudentis.

Quaeres 7. *Quot sint circumstantiae restitutionis?*

Resp. Sunt novem, hoc disticho comprehensae:

*Quis, quid restituat, quantum, cui. quomodo, quando,
Quo ordine, quove loco, quae causa excusat iniquum.*

Quaeres 8. *Quis, quid, et quantum restituere debeat?*

Resp. 1. Tenetur restituere omnis, qui alienum pos-
sedit, sive bona fide, sive mala possideat, cum hac dif-
ferentia, quod *possessor bonae fidei* teneatur tantum re-
stituere rem alienam, et omnes fructus rei naturales,
civiles, et mixtos qua parte sunt naturales, si extent;

quod si non extent, tenetur tantum restituere id in quo
factus est ditior. Econtra *possessor mala fidei* 1. tene-
tur restituere rem et omnes fructus rei naturales, civi-
les, et mixtos qua parte sunt naturales, sive extent,
sive non extent, quia ipso consumpsit mala fide; 2.
tenetur compensare omne damnum emergens et lu-
crum inde cessans domine, quia fuit causa injusta
utriusque.

Resp. 2. Tenetur restituere omnis, qui sua coope-
ratione fuit causa damni efficax, sive physica, sive
moralis.

Quaeres 9. *Quot sint modi quibus aliquis potest coo-
perari damno alterius?*

Resp. Sex numerantur positivi, et tres negativi, his
versibus comprehensi:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

De his causis consule nostrum Tom. II. de restit.
quaest. 3. hic tantummodo, *nota*, quod per mutum, non
obstantem, non manifestantem, intelligitur is qui ex
officio, aut pacto, teneatur clamare, testari, et tacet;
obstare, et non obstat; manifestare, et non manifestat.
Hinc, qui ex charitate tantum tenetur impendere da-
num proximi, et non impedit, non tenetur ad restitu-
tionem, quia peccat solum contra charitatem.

Quaeres 10. *An omnes cooperatores in solidum resti-
tuere teneantur?*

Resp. Tenentur in solidum pro ratione influxus in
munum.

Quaeres 11. *An cooperatores aequaliter teneantur re-
stituere?*

Resp. Si aequaliter concurrerunt ad damnum, ut duo
mandantes, aequaliter tenentur restituere; si inaequali-
ter, ut cum unus mandat, aliis consulit, alter exequitur,
tunc inaequaliter restituere tenentur.

*

Quaeres 12. *Quis ordo servandus est inter eos qui inaequaliter restituere tenentur in solidum?*

Resp. Sequens statuit: nempe, 1. *loco*, et ante omnes, tenetur restituere qui rem alienam detinet, vel qui eam consumpsit mala fide; quod si bona fide consumperit, ad nihil tenetur, nisi in quantum factus est ditionis... 2. *loco*, mandans, quia est causa principalis damni.... 3. *loco*, executor et participans in actione damnifica, quia est principalis causa damni post impe- rantem.... 4. *loco*, tenetur caeterae causae positivae in eodem ordine inter se, quia eodem modo in damnificationem influunt.... 5. *loco*, tenentur cooperantes negative.

Quaeres 13. Cui sit restituendum?

Resp. Ei qui habet jus possidendi, etsi non sit dominus rei, tales sunt depositarius, commodatarius, &c. hinc domino rei, non furi, est restituendum, quia fur non habet jus possidendi.

Quaeres 14. Quomodo sit restituendum, et quando?

Resp. Restitutio debet fieri ad aequalitatem, et statim, quantum moraliter fieri potest, quia praeceptum restitutionis est primario negativum, et sic obligat semper et pro semper.

Quaeres 15. Quem ordinem servare debet inter creditores, qui omnibus satisfacere est impar?

Resp. 1. Creditoribus certis prius solvendum est, quam incertis; 2. hypothecariis, quam chirographariis; 3. inter creditores hypothecarios prius solvendum est iis qui tempore sunt priores, quia sunt potiores jure; 4. singulis creditoribus chirographariis, seu personalibus, satisfaciendum est pro rata, sive sint priores, sive posteriores, quia inter eos nulla lex constituit prae- lationem.

Quaeres 16. Quo loco, seu cuius impensis restitutio fieri debeat?

Resp. Si restitutio fieri debeat ratione rei acceptae

debet fieri in loco ubi est res quae debetur, nec tenetur debitor expensis suis, sed expensis domini, illam mitte- re ad dominum. Si vero fieri debeat ratione injustae ac- ceptionis, detentionis, et damnificationis, debet fieri impensis debitoris, idque in loco ubi dominus rem illam possessurus erat, si ablata, vel destruta non fuisset.

Quaeres 17. Quaenam causae excusat a restitutione?

Resp. Excusat 1. *Impotentia physica et moralis*, quia tunc dominus non censemur rationabiliter iustus. 2. *Remissio libera creditoris*, quia potest dare quod suum est. Econtra non excusat *cessio bonorum*, quia per eam solum suspenditur obligatio restitutionis, nec *ingressus in religionem*; quia restitutio est juris naturalis.

CAPUT V.

De injuria et restitutione in particulari.

Quaeres. **Q**uotuplicis generis sint bona, in quibus proximo noceri potest!

Resp. Sunt triplicis; nempe, bona corporis, famae, et fortunae. De quibus sit

§ I. De injuria in bonis corporis, et eorum restitutione.

Quaeres 1. *Quotupli modo homo injuriari potest in corpore?*

Resp. Duplici, nempe, 1. Per homicidium et muti- lationem; 2. per stuprum et adulterium.

Quaeres 2. *Utrum licet malefactores occidere?*

Resp. 1. Licet auctoritate publica; nam, Exod. 21. dicitur: *Maleficos non patieris vivere.* Ratio est, quia Respublica potest abscondere membra putrida ob suam incolumentem.

Resp. 2. Nunquam licet auctoritate privata, nisi ob